

vel sudes satis. Aut si vnū, aut ad summum alterum deprehēdas erratū, propter illa opus tantum tamq; varium reijcias vniuersum, & contēnas: velut si egregio inspersos reprehēdas corpore neuos, vt Horatius inquit. In summa, quandoquidem hominum linguis nec habeo in manu mea, & liberas decet esse in liberis studijs, nō deprecor quo minus sentiat, loquaturq; de opere quisq; pro libito. Si enim malum est opus, irasci ob veritatē non debeo: si bonum, eos qui maledixerint, sua inuidētia exedet tāquam venenum: in quo vno iustissima est inuidia ipsa ceteris in rebus iniurissima. Hoc solum etiam atq; etiam rogo, & obsecro: vt si quis à me dissenserit, voluerit que id scriptis testari, meminerit modestiæ, & sine conuictijs asperisq; morsibus me, quod ignorauerim, doceat. Nam vt conuictia & grauem fortassis obiurgationem mereatur liber, non meretur institutū & conatus animi mei: ita eadem opera fiet, vt ego cū alijs fructum eruditioñis illius percipiam, agnoscamq; per magnum beneficium, atq; habeam gratiam immortalem: & ipse melior magister tum se profuisse intelligat, tum doctrinæ suæ nulla immodestia, quæ peior est quām inscitia, corruptæ & inquinata laudē amplissimam aufera. Neq; absit ab studijs humanitatis humana, serueturq; illa tranquillitas animorum, qua super res omnes alias musas gaudent. Et incipiamus morē hunc tollere, quem inuidæ omnibus furiae in præstantia studia immiserunt, impetendi & lacerandi eum, quem coniunctissimum nobis charissimumq; debebat reddidisse communio studiorū, ac earūdem nūclarum cultura, vt præterea baptismum & charitatem Christi: quandoquidem hæc iā olim surdis auribus inania sunt nomina, & ex grātis oculis vanæ sine corporibus vmbrae: colamusq; literas vt nos delectēt, vt iuuent, nō vt in certamen acerbum cōmittat, & tela vel eruditioñis, vel stili subministrēt, quibus prauos affectus nostros expletentes feriamus faciemusq; inimicum. Sed de his rebus erit tēpus, quum locum inueniam dicendi aptiore. Nunc mihi, vt ad quod cōoperam reuertar, tota spes in ijs est, qui candido, qui integro pectorē ad lectionem horum librorū accedent, siue docti sint siue indocti. Deniq; ita me cōfolor, si ab hominib; nulla redeat ad nos gratia, non deerunt, quibus adductus impulsus que hanc me operam nauasse nunquam pœnitēat. Nam & obsecutum esse Erasmo meo, tam me iuuat, quām nefas suisset, quod imponebat onus recusare, qui in me & hominis arcta mecum amicitia coniunctissimi & præceptoris optime meriti ius ac potestatem habet. Tum interea dum hæc sum meditatus

honestissimo me exercitamento occupasse, & animum mentēmque crebris cogitatis honestate ac sanctitate refertissimis imbuiisse, quæ promptiorem me atq; expeditiorem ad bene & Christiane viuendum reddant. Hæc vna, si cetera desint vniuersa, abunde ampla & magnifica merces est. Postremo vt aliud nihil reputem, nisi me voluisse Augustino, & proinde Christo aliquid studiorum meorum facare, præclare mecum actum existimare debo. Quippe qui etiam frigidæ poculum propter se suumq; nomen prebitum irremuneratum se non præteritrum pollicitus est: huic quoque meæ voluntati, quam vñā ille curat, gratiam referet: præsertim quum ipse labores omnes meos ita demū ratos mihi esse velim, tio. si Christo eiusque castissimæ & integerissimæ sponsæ Ecclesiæ approbentur.

DE VETERIBVS INTERPRETIBVS HVIVS OPERIS.



ARRAVIT hodie mihi amicus quidā meus, inter colloquendum cū non nullis fratribus Dominicani ordinis atq; instituti incidisse se in sermonē de his meis cōmentarijs: illos respōdisse inanem me operam atq; industriam ludere, ac potuisse huius tēporis compēdium facere, quum in libros Augustini de ciuitate dei scripterint prædictorijs quidam fratres ad miraculū eruditē, dextre, exacte, feliciter, nihil supra. Quæ si sic habet, nimis profecto cōfidens fui, qui me hac ingenij & eruditioñis tenuitate scripta vt queadeo miranda superare posse sperarim: & demens, qui tantam lucē mea facula obscurari posse crediderim: & stultus, vt non illis sim vñus potius, sicut Valerij Probi, Seruij, aut Donati cōmētarijs: & male fieriatus vt vñtro tanti tēporis fecerim iacturā actū agendo, quod aiunt: & Erasmus ipse imprudens, qui nouos commentarios mandari scribēdos, vbi tales essent veteres: & doctissimus quisque ineptissimus huic nostræ operæ votis fauendo, scilicet, vt illi fratres putant, superacaneæ, quos ego fratres deierare ausim, ne literā quidē in illis commentarijs legisse, titulos vidisse solummodo: aut si legerunt, & probat, planè similes sunt ipsi cōmentatorū. Ut nūquā fuit animus refellere tam apertam inscitia, tam insipidas expositorū ineptias, nō collegi locos aliquot in primis ridiculos, & imperitos: ex quibus de opere toto qui nō legissent, possent iudicium facere, nec profecto fuit